



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CII. De triumphali titulo supra caput Jesu crucifixi in trunco affixo, quid nobis insinuet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CII.

De triumphali Titulo supra caput JESU
Crucifixi in trunco affixo, quid nobis in-
sinuet?

*Scriptit autem & titulum Pilatus. & posuit super cru-
cem. Erat autem scriptum: JESUS NAZARENUS REX
JUDÆORUM. Jo. 19. 19.*

I.

Jacob Patriarcha, ubi instante morte à Joseph filio suo, nunc Ægy-
ptiorum Pro-Rege erat visitatus, ejus virgam, quam in signum
potestatis, in manibus gerebat, humiliter adoravit: *Fide Jacob mo-* Hebr. II. 21.
tiens, ait Gentium Doctor Paulus, singulis filiis Joseph benedixit: Et
adoravit fastigium virgæ ejus. Ad quid ista adoratio virgæ & fastigii
ejus? *g.* Hæc omnia illis in veteri testamento contingebant in figura,
scripta sunt autem propter nos. Hæc virga, ait S. Ephrem, figura fuit s. Ephr. de
SS. Crucis Dominicæ, & fastigium ejus præsignavit Titulum crucis, laude Crucis,
hoc est: Tabellam, in qua sacratissimum Nomen JESUS NAZARENUS Marchant. tr.
Rex Judæorum erat exaratum; Moriens ergo Jacob in fide Redem- 3. lect. 8.
ptoris osculatus, & veneratus est Sacrosanctum Nomen JESU cruci-
fixi, cujus aspectu tunc nondum frui poterat. Si hoc olim in umbra,
quid nunc in veritate? O Christiani! Vel ex hoc discite, quantum sit
honorandus iste Titulus triumphalis, quem supra caput pientissimi
Redemptoris vestri in cruce pendentis affixum cernitis. Considerate,
inquam, illa sacratissima verba: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.

2. Erat autem hic Titulus, quem Romæ quondam in templo S.
Crucis conspicatus, & veneratus sum, scriptus non calamo, aut peni-
culo, sed stylo ferreo super candidam tabulam, cujus litteræ minio,
seu rubro colore erant tinctæ; quia mortis continebant causam, & ut
aliis terrorem mortis incuterent, ac majestatem Romani Præsidis osten-
tarent, quem Titulum unus justitiæ minister in bajulatione crucis
Chri-

Christo, immaculato illi Agno ad cruentam pergenti victimam, in oblonga pertica, seu hastâ præferebat.

Sueton. cap
37.

Sic quondam Julius Cæsar Imperatorum primus, cum victor ex Pontico bello rediret Romam, sibi ante currum suum triumphalem, tabellam præferri voluit, in qua grandioribus litteris erant exarata tria ista verba: *Veni, vidi, vici.* Currus triumphalis Christi Domini, ait S. Ambrosius, crux est, per quam, & in qua omnes hostes suos devicit, superavit, debellavit: *Veni, vidi, vici.* hoc est: demonem, mundum, peccatum; Titulus erat J. N. R. J. & charissimus Titulus!

Josue. 5. 18.

3. Josue suis militibus signum dedit, quando levavero clypeum meum, qui in manu mea est, contra urbem Hai, tunc tradet eam nobis Dominus: *Leva clypeum, qui in manu tua est contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.* Levavit Josue clypeum in pertica, & secuta est victoria. Josue JESUM adumbravit, pertica crucem, clypeus SS. Nomen JESUS in titulo crucis exaratum; hinc omnis nostra gloria & victoria, quia non est aliud nomen, in quo oportet nos salvos fieri, quam sacratissimum Nomen JESUS.

Gen. 28. 18.

Jacob qui mirabilem illam cœlestem scalam viderat, & Angelos Dei per eam descendentes & ascendentes, ipsūque Dominum in summitate ejus innixum, surgens de somno lapidem erexit in titulum, fondens oleum desuper. Sic Christus Dominus ubi ipse scalam crucis ascendit, voluit titulum crucis super se erigi, quem ipse prius oleo perfudit, quia oleum effusum est nomen ejus: seu unguentum effusum, ait Philo Carpath. immensam ipsius misericordiam atque pietatem erga nos ostendens, imò & effundens.

Cant. 1. 2.

Jo. 19. 19.

Sylveira c. 8.
in Luc. 1. 63

Matth. 27. 24.

4. *Scriptit autem & titulum Pilatus.* Observa mysterium. Pilatus Sanctissimum Nomen JESU non ore videretur pronuntiasse, sed manu scripsisset tantum. Causam assignat Sylveira, quia ipse erat totus sordidus, manus autem illius erant aliquo modo mundæ, quia lotæ: *Accepta aqua lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine justis hujus: vos videritis.* Nota hic tibi pro reflexione morali aliquam doctrinam, ut mundus sis ore, corde & opere, si vis dignè venerari sacratissimum Nomen JESU, extra quem est nulla salus.

Scriptit verò Judex ille Romanus: *JESUS Nazarenus Rex Judæorum;* Quo titulo personam, patriam & causam voluit indicare: *JESUS* personam, *Nazarenus* patriam, & *Rex Judæorum* mortis causam, quia se Regem fecit.

Jo. 6. 15.

5. Voluit aliquando plebs Hebræa, ubi bene à Christo pasta erat, cum rapere, & facere Regem; Et quid fecit pretiosissimus Salvator Christus? *JESUS* ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, ut

facrent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ecce dum Judæi benignissimum Dominum Regem volebant facere, fugit, & abiit.

Sed audi plura: Ubi ad crucem condemnatus est per iniquissimam Romani Judicis sententiam, cujus tenor erat juxta S. Vincentium Ferr. *Jesus seducentem populum, blasphemantem Deum, dicentem se Christum Regem Judæorum esse: Cruci affigendum condemno, & adjudico.* Post laetam istam sententiam scripsit & Titulum Pilatus vel per se, vel per Secretarium: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum;* hunc Regis titulum accepit Jesus libentissimè, nihil contradicens. Et quare hoc, mi Domine? An quia regnum tuum non est de hoc mundo?

R. Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam: Dominus regnavit à ligno: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu.* Ecce in cruce Christus Dominus à Patre constitutus, declaratus, & factus est Rex omnium & Angelorum & omnium hominum: *Regnavit à ligno DEUS,* ait Ecclesia.

6. Ad Samuelem quondam venerunt Hebræi, postulantes ab eo Regem: *Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.*

Dedit nobis Pater æternus Regem unigenitum ac dilectissimum Filium suum *Jesus,* & factus est principatus super humerum ejus. Hic, inquam, Rex bellum nostrum pro nobis pugnavit, ah quam cruentum! Vulneratus est propter iniquitates nostras, tela & plagas ipse unus excepit, ut nos salvaret, ac tueretur invulneratos. Proinde regnum suum non per delicias, sed per propriam mortem sibi & nobis comparavit. Vivat ergo Rex noster: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum;* Cujus Titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis, ac tunc præsertim in supremo agone, ex quo nobis pendet æternitas. O gloriosus, ô quam amabilis titulus: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum!*

7. Cæterùm non placuit hic Titulus impiis Judæis ac Christicidis, unde venerunt ad Pilatum: *Noli scribere Rex sum Judæorum.* Ecce ex utraque parte remorsum conscientia; sæpius enim prodiderat Pilatus in sanguinario illo judicio innocentiam Christi: *Innocens ego sum à sanguine justis hujus: vos videritis;* unde nunc publicum testimonium huic innocentissimo Agno dare voluit, scribendo hunc honorificum Titulum: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* O gloriosum Titulum, quem non ex se, sed ita disponente Deo Pilatus exaravit, in quo licet ignoranter Christum Messiam, verum Judæorum Regem, & mundi Salvatorem declaravit, qui ex Dei decreto crucifigi & mori debebat, ut humani generis peccata lueret, & expiaret, hominesque Deo reconciliaret.

Gmther Unus pro omnibus.

Ccc

ciliaret

Cornel. in
Math. 27. 37


ciliaret ac salvaret. Quare hic Titulus, ait Cornelius, fuit Christo summi honoris elogium, ostendit enim ejus non tantum innocentiam, sed & dignitatem, & traducens ac infamans Judæos per totum orbem quasi Christicidas; unde Origenes: Hic titulus, ait, *caput Jesu in sua corona exornat.*

Jo. 19. 22.

8. *Quod scripsi, scripsi*, persistebat Pilatus in sua sententia, nec jota mutabitur, quibus verbis pientissimi Redemptoris nostri excusare voluit innocentiam, quia coactus eum ad mortem condemnavit, & simul accusare Judæorum malevolentiam: *Quod scripsi, scripsi.* Ecce saltem in hoc laudandus est Judex Romanus: idem hic Titulus stare debuit, etiam ringentibus Judæis, quia non est potentia, nec prudentia,

Surius in vita
16. Nov. c. 3

nec consilium contra Dominum. Interim imitemur S. Edmundum, cui Christus adolescenti & ipse in specie adolescentis apparuit, hunc ipsissimum Titulum in fronte suo aureis præferens litteris: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, monens eum, ut hoc Sacrosanctum Nomen cordi imprimeret, ac fronti inscriberet, fore enim ipsi, ac omnibus similiter facientibus adversum malam ac subitanam mortem magnum præsidium. Si prudens es, imitare exemplum.



CONSIDERATIO CIII. Cur Crucifixus Dominus latus suum per crudelem militis lanceam voluerit adaperiri?

Unus militum latus ejus lanceâ aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua. Joan. 19. 34.

I.

Jo. 5. 3.

Priusquam Filius Dei fuit incarnatus, erat hic mundus quasi Probatica piscina, in qua jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Inter illos languidos erat comprimis Adam, proh! quanto tempore expectavit, ut veniret quisquam, qui ipsum in piscinam mitteret, & sic sanum faceret. Venit ille homo, imò DEUS & homo Christus, ipsum interrogans: *Vis sanus fieri?* Respondit Adam: *Hominem*